

## CAPUT I.

**A**NGINA omnem gutturis ac faucium inflammationem, respirationem & deglutitionem lædentem, complectitur, variasque appellationes juxta idiomatum varietatem est sortita.

§. 1. Antequam ad ea, quæ rem ipsam concernunt, nos demittamus, pauca præmittenda venient de ratione denominationis, ut ita sequamur vestigia & ductum eloquentiæ Parentis Ciceronis, qui omnem de re aliquâ susceptam institutionem à definitione tam nominali, quam reali proficisci debere sapienter admodum asserit, ut intelligatur, quid sit id, de quo disputatur.

§. 2. Latini præsentem affectum Anginam indigitant, deducto vocabulo ab ango, quod græco nomini ἀγγειν, strangulare, præfocare, respondet, cum laquei ad instar malum hoc funisque modo ægros strangulet, faucesque constringat.

§. 3. Aliena minusque apposita denominandi & derivandi ratio esse videtur, quam tradit (d) Petrus Joannes Faber, Medicus Monspeliensis, dum anginam dictam putat auginam ab augendo, quod guttur & fauces augeat, partes eas in tumorem attollendo.

§. 4. Græci Medicorum pro subjecti diversitate diversis utuntur vocibus: vocant namque κωάγγλω, σωάγγλω, vel etiam terminatione masculinâ, κύναγγλον, σύναγγλον. (e) Hippocrat.

§. 5. Alzabaravius inter Mauritanicæ familie Professores facile princeps (f) affectum hunc alluztin, al alcema, & aldabba adpellitat.

§. 6. Germanis dicitur die Breune/ oder Ungarische Krankheit/ quod Ungaricum morbum comitetur.

CAPUT

(d) Universitatis sapientia libro 3. cap. 37.

(e) lib. de locis in homine, & 4. de rat. viâ. in acur. aph. 30.  
(f) lib. pract. tract. 11. cap. 3.